5

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS SHEEHAN,

Hibernus.




AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

FRATRI SUO DILECTISSIMO

REVERENDO JOHANNI SHEEHAN,

DE URBE WATERFORDIÆ,

MULTORUM BENEFICIORUM

STUDIIQUE FRATERNI

MEMOR,

HANC DISSERTATIONEM,

GRATI ANIMI SINCERUM

QUAMVIS PERTENUE

TESTIMONIUM,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

PATRICIO SHEEHAN, Auctore.

RHEUMATISMUS tempore verno et autumnali plerumque viget. Eos præcipue qui temperamento sanguineo præditi sunt, et summo vigore juventæ fruuntur, et igitur a pubertate ad annum trigesimum quintum vel quadragesimum, maxime infestat; tametsi nonnunquam invadit juvenes teneræ ætatis, scilicet sub annum decimum quintum. Authores omnes affirmant mares sæpius

uam fæminas hoc morbo affici, quippe illi causis exponuntur quibus morbus oriri solet, scilicet sudori obstructo vel frigori et humori corpori applicato, præcipue si corpori æstuanti et fatigatione infirmato admoveatur.

Morbus lassitudine et artuum gravitate plerumque incipit: quando autem morbi impetus gravior est, æger de frigoris sensu queritur, quem brevi sequitur stadium calidum et omnia pyrexiæ regularis signa; sitis, calor, anxietas et inquietudo superveniunt; pulsus frequens, plenus, et durus, spiritus celer et anxius, lingua alba; appetitus tamen cibi sæpe manet.

Postquam hoc signa biduum triduumve perstiterunt, dolores acuti erratici in variis corporis partibus, præcipue vero, in artuum superiorum ac inferiorum articulis, sentiuntur: hi dolores nonnunquam unam partem occupant, sæpius autem ab uno ad alterum articulum musculorum cursum sequentes transeunt, et calore externo et musculorum exercitatione haud parum augentur. Articuli majores, plerumque maxime laborant; qualis

coxendix, genua, cubitus, humerus, malleolus, et carpus sæpe, manuum et pedum digiti rarius afficiuntur. Dolores sentiuntur nonnunquam antequam ulla pyrexiæ indicia observantur. Articuli aliquot temporis affecti tumore ac rubore, qui tamen dolorem non semper tollunt, affici solent; plerumque vero urgente tumore, dolor imminuitur; rarius in eodem articulo fixus perstat, sed huc illuc vagatur, donec forsan cunctas juncturas majores exercuerit.

Artus affectus ne vel minimum quidem motum exercere potest, et dolor calore externo vel tactu levissimo augeri solet. Omnia symptomata vesperi intenduntur; æger noctem insomnis plerumque agit, et dolores hoc tempore ad sedem suam mutandam maxime proclives sunt.

Nonnullis in casibus sudor partialis etiam ab initio adest: hic tamen nec copiosus raro dolorem mitigat; articulus affectus siccus ac rigidus manet.

Per totum morbi decursum urina colorata est,

nec sedimentum deponit, nec autem etiamsi fiat, morbum minime solvit; morbus enim postquam tale sedimentum ostendit, pervicax manet.

Sanguis in morbo detractus omnia signa phlegmasiis propria ostendit. Pyrexia ad diem decimum quartum, vigesimum aut etiam diutius protrahitur, et raro ante diem sextum vel septimum remittit; dolor et partium tensio pyrexiæ cursum plerumque sequuntur; pars autem affecta sæpe tumida ac rigida manet, et si frigori levissimo objiciatur, tensio et dolor revertere solent. Æger tusse sæpe fatigatur, quæ omnia signa graviora reddit.

Hoc modo pyrexia cursum suum plerumque absolvit; dolores autem interdum tanta violentia sæviunt, ut subsultus, et omnia signa quæ febres periculosissimas comitantur, superveniunt. Tumor enim et dolor adeo intenduntur, ut totum corpus tumore et doloribus gravissimis torqueri videatur: hæc dua symptomata autem rarius accedere solent.

DE RHEUMATISMI TERMINATIONIBUS.

Hoc malum plerumque resolutione finitur; rarissime in suppurationem abit; raro aut nunquam in scirrhum aut gangrænam desinit. Satis certe videtur cor aliaque viscera doloribus hujus morbi interna versus migrantibus, correpi; tamen exempla hujusmodi sæpius ad Podagram quam ad Rheumatismum pertinere videntur.

Sæpe in Arthrodyniam sive in Rheumatismum Chronicum, et præcipue si imperite tractatur, desinere solet; et nonnunquam Paralysi, sed raro quidem, finitur.

DE CAUSIS REMOTIS.

Hæ jure in Prædisponentes et Occasionales vel Excitantes dividi, mihi videntur. Prædisponentes sunt quæ proclivitatem in morbum faciunt. Diathesis phlogistica est præcipua corporis conditio quæ opportunitatem in hunc morbum facit.

Regionum frigidarum incolæ, ætas media, scilicet a pubertate ad annum trigesimum quintum, temperamento sanguineo præditi, et pleni, huic morbo plerumquæ patent; et omnibus conceditur in hujusmodi hominibus diathesin phlogisticam potissimum vigere. Hoc confirmatur eo, quod desidia, ratio victus plenior, et evacuationes antea solitæ suppressæ, quales sunt exhalatio per cutem, sanguinis missio, menses, hæmorrhois, fonticuli, epispastica, plenitudinem et diathesin phlogisticam augendo, ad morbum inducendum haud parum conferunt.

Porro, omnia quotquot corpus debilitant ac solvunt, aut irritabilius reddunt, uti ingens salivæ fluxus ab hydrargyro nimio, cum æger calori justo minori objiciatur, prava consuetudo vivendi in cubiculis calidioribus, et morbus prægressus, mortales huic morbo opportunos reddunt. Qui exinanitionibus immodicis et morbis longis infirmantur, malo magis opportuni sunt, eo quod corpus irritabilius factum frigoris actionem minus resistat.

Causæ occasionales plures esse possunt ; præcipua autem est frigus ; cujus actio variis modis potentior evadit ; quando humori conjungitur frigus, ut supra memoravi, effectus multo majores edit ; præcipue si corpori æstuanti admoveatur. Nempe apparet, fluidorum omnium vaporationem plus minus frigoris gignere, prout fluida sunt magis aut minus volatilia ; quippe doctrina chemica demonstrat calorem liberum, i. e. sensibus nostris percipiendum, in latentem mutari, in omni exemplo ubi corpora solida aut fluida in vaporem solvuntur : actio frigoris multum a gradu ejus pendet, et temporis spatio quo agit, ut affirmatur a cel. med. Gregorio :—" Frigus igitur corpori tantum stimulo est, cum satis intensum et subito et per breve spatium adhibitum est." Hinc opus est ut frigus per tempus longius in corpus agat ad effectus suos edendos ; hi vero certiores apparent si parti corporis singulari admoveatur.

Præter frigus, omnia quæ corpus ultra modum stimulant ad morbum in proclivibus inducendum valere videntur ; hinc medicamenta tonica diu adhibita, testante Sydenhamo, Rheumatismum excitarunt.

DE RATIONE SIGNORUM.

Articuli ideo præ cæteris partibus affici videntur, quia tendines et tegumenta quæ sunt sedes propriæ hujus morbi his partibus maxime abundant, et desunt quoque tela cellulosa et caro, quæ partes alteras tegunt; hinc actioni frigoris admodum objiciuntur, inflammatio oritur, sanguis stagnat, partes jam irritabiles præter solitum stimulat; hinc rubor, calor, et tensio dolens. Morbum in suppurationem rarius abire hinc pendere crediderim, quod tegumenta quæ inflammatio potissimum occupat vix suppurationi obnoxia sunt.

DE DIAGNOSI.

Nulla fere pars medicinæ majorem peritiam aut ingenii acumen postulat, aut majoris momenti est, quam illa quæ de morbis dignoscendis agit. Morbi plurimi quibus mortales opportuni sunt, natura licet diversa, signis tamen et facie externa adeo se invicem simulant, ut sæpe fiat difficilli-

mum morbum rite dignoscere, tametsi symptomata morbi summa diligentia observavimus, et historiam prosecuti sumus, oportet igitur enumerare morbos quibus Rheumatismus confundi potest, et quam brevissime dicere signa quibus dignoscantur a morbo nostro.

Podagra, scorbutus, ac syphilis, et maxime tumores dolorosi scrofulosi artuum, nonnunquam Rheumatismo confunduntur.

Podagra a morbo nostro discrepat, non solum ætate ac temperamento ægri, sed etiam signis ac sede quam occupat; porro est morbus hæreditarius, Rheumatismus autem vix unquam. Podagra ætate provectos adoritur; Rheumatismus vero juniores. Hujusmodi distinctiones generales ad justam diagnosin non semper valent; exempla enim narrantur ab authoribus omni fide dignis, ubi podagra utrumque sexum etiam ante annum septimum decimum graviter afficit. Vitæ ratio ad hos morbos a se invicem dignoscendos plurimum valebit: vegeti ac robusti et divites, quique post vitam actuosam luxui atque desidiæ subito se tra-

dunt; hi sunt multo procliviores in podagram, quam graciles, pauperes, et delicatuli. Rheumatismus pauperes facilius infestat, et qui labore gravi et improbo exercentur; sed hæ regulæ etiam minime sufficiunt. Labes hæreditaria podagræ paroxysmum nonnunquam inducit, licet res hujus accessui alioquin parum faveat. Ut diagnosis igitur accurata sit, ad causas horum morborum confugiendum est.

A causis occasionalibus, nempe ab aëris humore vel frigore, vel his subito se invicem excipientibus, frequentissime oritur Rheumatismus; contra, cœli intemperie vix affici videtur podagra, sed a causis internis penitus inducitur; quales sunt solicitudo, ægritudo, aut quicquid animum violenter turbat, Venus et Bacchus nimis culti, studium intensius, et exinanitiones sanguinis antea solitæ suppressæ, quales sunt menses et hæmorrhois.

Articuli luxati occasionem utriusque morbi præbere possunt; raro autem podagræ, nisi labes hæreditaria adsit.

Diagnosis adhuc accuratior deduci potest a signis quæ podagræ accessum plerumque antecedunt. Rheumatismus homines nihil tale suspicantes invadit. Podagra vero tardior accedit, et ægros de adventu suo certiores facit; dolores enim spasmodici paucos dies ante accessum articulos infestat; ægerque nausea et somnolentia afficitur, ventriculi functiones plus minusve turbantur, cibi appetitus minuitur, flatus et alia signa pravæ concoctionis sentiuntur: hæc signa plures dies ante morbi accessum perstare solent.

Plerumque vero pridie ejus diei quo paroxysmus adoritur, æger cibum præter solitum appetit; nonnunquam paulo ante accessum veneris desiderium augetur, et sensus obtusi et hebetes fiunt; finito vero paroxysmo præter solitum acuuntur. In morbo nostro fixi perstant dolores; in podagra autem sedem suam ex articulis mutant, et in viscera ingenti vi impetum faciunt; pulmones asthmate, intestina torminibus sævis, et ventriculum nausea et vomitu afficientes. In Rheumatismo dolores huc illuc vagantur, musculorum cursum sequentes; in utroque morbo satis similes sunt, sed

in podagra profundiores, et statis temporibus revertere solent.

Quid ad Scorbutum attinet; hunc a Rheumatismo satis distinguunt causæ remotæ et signa. Etsi frigus pro causa excitante habeatur, ab hoc autem solo scorbutus oriri non potest, nisi diæta recens ex frugibus et carnibus parata deficiat: dolores quoque in scorbuto sunt plerumque vagi et instabiles, et tandem si fixi evadunt dorsum vel latus occupant, pleuritidem simulantes. Scorbutus vero signis quæ sequuntur certissime a Rheumatismo distingui potest: adest lassitudo et torpor insolitus; facies fit pallida, et oculi circulo livido circumdantur; gingivæ fiunt molles et spongiosæ, et a tactu levissimo sanguinem effundunt; spiritus fœtet, corpusque maculis lividis spargitur, et etiam ab initio ictus arteriarum debilis et exilis est, quæ res longe aliter in Rheumatismo se habent.

Syphilis nonnunquam cum Rheumatismo confunditur; sed historia morbi plerumque nos diriget, et si quicquid dubii manebit plurimum judi-

cii ferre possumus perscrutando fauces, pericranium, et omnes denique partes in quibus morbi vestigia superesse suspicari fas est.

A dolore scrofuloso dignoscatur, eo quod ille infestat eos in quibus diathesis strumosa facile agnoscitur, et quia intumescentiæ scrofulosæ superveniunt tarde et insiduose, et ab initio sunt sine dolore acuto qui Rheumatismum comitatur: in extremis stadiis, febris hectica satis facile hunc a morbo nostro distinguit.

RATIO MEDENDI.

Diagnosi jam considerata, superest ut de medendi methodo tractemus; munere omnium maximi momenti, cui absolvendo ceteræ omnes rationes inserviunt, ut medicamentum idoneum reddant. Cum ab omnibus conceditur Rheumatismum plurimum inflammationis habere, medendi consilia quasi sponte in sequentia se dividunt.

1^{mum}, Diathesin phlogisticam totius corporis tollere.

2dum, Dolorem partium laborantium et tumorem tollere.

Regimen antiphlogisticum in primo maxime observari necesse est, et consistit in vitatione omnium irritamentorum quæ fere corporibus nostris admoveantur; qualia sunt calor nimius, exercitatio corporis et animi; et in hoc morbo cibo animali et liquoribus fermentatis et spirituosis penitus abstinendum erit; maxime cavendum ne sitis urgeat, aut ventriculus crudis et indigestis opprimatur, aut fæces justo diutius retineantur: Hæc omnia nimis stimulant et calefaciunt.

Quoniam diathesis phlogistica maxime pendet ex vasorum tono, et hic rursus a tensione ex fluidis contentis, patet igitur quod horum quantitate imminuta actio cordis et arteriarum temperabitur: hoc duobus modis potissimum efficitur, sanguinis silicet detractione copiosa, catharticis et sedantibus medicamentis. Omnes quidem authores qui de Rheumatismo scripserunt, iteratam et copiosam sanguinis detractionem suadent; et forsan huic remedio nimis institerunt; quod non-

nunquam observatur, maximam debilitatem et convalescendi tarditatem, et arthrodyniæ accessum, frequentem liberioremque sanguinis detractionem sequi, minime vero dubitandum est quin in hoc morbo, præcipue incipiente, sanguinis detractio libera ac copiosa, pro ægri viribus, corporis habitu, et vi signorum, plurimum beneficii præbet.

Quando symptomata pyrexiæ redacta fuerint, et tamen tensio et dolor minore gradu manent, hirudines parti dolenti, ad tensionem et dolorem mitigandum, recte quidem usurpari possunt: cum autem inflammatio universalis corpore viget, non est expectandum hujusmodi remedia exinanitionis generalis usu supersedere posse.

Ad inflammationem minuendam medicamenta cathartica sunt maximo usu, et post sanguinem detractam usurpari debent. Cathartica leniora, vero, et quæ corpus minus stimulant, seligenda sunt. Hujusmodi sunt sales neutri, qui aliquid vis refrigerantis habent; velut soda phosphorata, soda tartarisata, et sulphas magnesiæ. Morbo

autem provecto, catharticorum usus ægrotanti molestus sit. Refrigerantia et sedantia huic consilio pariter accommodantur: horum acida nativa frugum, et aqua in qua supertartras potassæ solvitur, maxime valent; sitim restringunt, corpus refrigerant, et omnes excretiones augent. Medicamenta sudorifica in hoc morbo sæpe benignissime agunt; præsertim cum rigiditas et siccitas artuum adsunt: inter leniora sunt ammonia et tinctura guaiaci, et ex stibio præparata, cum dosis minutis calomelanos conjuncta, et pulvis Doveri, quippe quæ multo efficacior jure anteponi debet.

Sed medicamentum quod ante cætera mihi videtur ægro benefacere, est cortex cinchonæ. In Nosocomio Patricii Dunn, juxta Eblanam, egomet hoc remedium exhiberi vidi: post sanguinem missum, secundum ævum et vigorem ægri, et post alvi plene solutionem medicinis catharticis, uncia una pulveris cinchonæ committitur cum eadem quantitate supertartratis potassæ, et in partes duodecim dividitur; una sumatur ter quaterve de die; et si alvus astricta fuerit, vel si signa pyrexiæ magis urgeant, sanguis iterum mittatur, et cathartica adhibeantur. Si medicamentum

oppressionem ventriculi efficiat, aut si usui ejus diarrhœa supervenerit, illam aromatici sublevando plurimum valent, et hanc catechu vel kino, vel præparata ex opio, effectu optimo cum remedio conjungitur: supertartras potassæ cum cinchona committitur, ut opinor, ut alvi constipationem solvat.

In Rheumatismo tractando, Colchicum Autumnale nuper laudes insignes acquisivit; et satis merito, ut mihi videtur. Dosibus diaphoreticis gaudet, et fere in forma tincturæ adhibitur, cujus drachma ter in die ex quovis vehiculo idoneo sumatur; et potissimum effectos faustos edit, si status morbi phlogisticus sanguinis detractione prius aliquanto redactus sit.

Balneum tepidum interdum usurpatur; et ad tensionem tollendam, et sudorem eliciendum, plurimum valet; et in hoc modo ad morbum sanandum manifeste pollet.

Remedia externa in rheumatismo acuto partibus dolentibus admota, parum levaminis adfe-

rent. Contra, quidem, dolorem sæpius augent quam levant, Rubefacientia et Camphora dolorem interdum mitigant, plerumque vero ab uno ad alterum articulum dolorem expellunt. Epispastica quoque dolores qui adeo immobiles sunt, et sedem suam haud facile mutant, tollere possunt. In Rheumatismo autem dolores sedem adeo frequenter mutant, ut remedia topica parum proficere queant.

FINIS.